

## ANNOTATA ANTI-GROTIANA

dimittitis. Erit autem dies, quo Christus, cui hoc unicè competit, cen cordium scrutatori, palàm faciet, quinam laude & coronâ digni. Cæterùm per hanc doctrinam Apostolicam nequicquam constituantur Doctores verbi *ἀνυπεύθυνοι*, vel omni eximuntur censura. Nam nec ipse Paulus refugit iudicium Ecclesiæ de doctrinâ suâ *2. Cor: X, 15: iudicate vos ipsi, quod dico.* Sed temeraria tantùm iudicia reprobantur, quibus si iniqvē premantur sinceri Doctores, meritò ea contemnant, ac *pro minimo habent, iudicari ab humano die*, qualia, exempli gratiâ, sunt anathemata Tridentinis, & alia merè humana, & carnalia iudicia. Fallitur ergò Stapletonius cūm ait, *pastoribus & Episcopis simpliciter esse obediendam non verò eos iudicandos, si legitime vocati sint.* Nam quamvis audiendi sint, qui doctrina sani sunt, licet moribus pravi, *Spiritus tamen probare oportet, num ex Deo sint.* *1. Joh: IV, 1.*

## P A R S II.

### *Deportatio ab elatione.*

“ V. 6. Ταῦτα δὲ ἀδελφοὶ μεταχημάτισα εἰς ἑμαυτὸν καὶ Ἀπολλῶν  
“ δι’ ὑμᾶς.

“ Reçtè Syrus vertit: Proposui hæc in persona mea, & Appollo.  
“ Quia hi vestri doctores meo etiam & Apollo nomine abutuntur, in  
“ nostra persona ipsis ostendi, quàm modestè de se ac de aliis iudicare  
“ debeant, quantamq; curam gerere vestri & pacis. *Μεταχηματίζειν*  
“ propriè est mutare habitum, ut videre est *1. Sam: XXVIII, 8.* Inde  
“ transfertur ad orationem, quæ aliud videtur dicere, aliud innuit:  
“ Cuiusmodi locutiones à Græcis vocari solent *λόγοι ἐχηματισμένοι*,  
“ quas controversias figuratas dixit Quintilianus IX, 11. an & figuras  
“ Svetonius Vespasiano & Domitiano Hieronymus epist: LXVI. ad  
“ Rufinum. Philostratus de Herode Attico: *Σχηματίσεις τὸν λόγον.*  
“ Chrysostomus de hoc loco agens in sermone de non vulgandis pec-  
“ catis: *συνεσκίασε τὴν κατηγορίαν* de Accusativo *Ἀπολλῶν* vide quæ di-  
“ ximus ad A&: XIX, 1.

“ Pleriq; veteres illam *μεταχηματισμὸν* de *fitione* intelligunt, quæ  
“ Apostolus ambitionem falsorum Doctorem in se, & Apollo trans-  
“ tulerit, seu quod indignos existimaret, quos nominaret, seu ut mi-  
“ nus